



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies  
Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

SS. Caprasius & Fides MM. 20. Octobris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

Octob. 19. Octob. VITÆ SANCTORVM. 511  
prâ horridum. Quod avertere oculos potuisset  
delicatos, ETHBINI sociique invitavit etiam.  
Oritur pulchrum magistrum inter & tironem  
certamen. Hic brachiis stringere, & sinu miserum  
fovere, ille sordes & saniem velle officiosus à vul-  
tu abstergere, quin (quod æger aliter nollet fie-  
ri) generosâ firi purulætam scabiem eibere. Scio,  
horres hæc legere. Sed tunc facere hæc virtus  
non horruit. Et ecce, ô Superi! ô amor, qui col-  
ludere homini DÆV M facis! dum saniem sperat  
Winvalocus, gemmam unicè pretiosam ore exci-  
pit, & mutatâ repente rerum facie videt ETHBI-  
NVS in miseri fronte crucem rutilare, videt ab al-  
to famulos Cælites advenire, & è manibus non  
jam leprosum, sed Christum abire, amicissimis  
verbis sua utrique præmia pollicentem. Et finie-  
rat fabula pulcherrima, cùm iterum lis sancta ex-  
orta est, utrius virtuti hanc DÆVS dedisset. Post  
multa ita conventum est: ut silentio omnia invol-  
verentur. At frustrâ agitis, ô Divi. gemma vos  
prodidit, & verò olim Christus prodet. Ex Surio.

*Christus tibi contubernialis sit & conviva, imò Christus ipse tu & sit delicia, ipse quotidiane refectionis epu-  
lum, ipse tibi intimæ dulcedinis sit alimentum. Cum illo  
simul lege, cum illo jugiter psalle: cum illo lectulus te  
dormitum capiat, cum eodem sopor inveniat. S. Pet.  
Dam. l. 7. epist. 6.*

### SS. CAPRASIUS & FIDES MM.

20. Octobris.

VT fidem sanguine suo firmaret CAPRASIVS,  
FIDES virgo suggestit. Nam cùm hæc anno  
post natum Servatorem trecentesimo tertio pro  
CHRISTO captiva in lassitudinem omnes jam car-  
nifici-

512 VITÆ SANCTORVM. 20.Octob.  
nifices dedisset, & denique in craticulam abje-  
cta esset lento igne crucianda; vidit è specu suâ,  
quâ delitescebat, CAPRASIVS, manifestâ in luce  
columbam cælo adventare, quæ & rore asperso  
ardores temperaret, & serto longè pulcherrimo  
caput victricis coronaret. Puduit vinci à virgi-  
ne, & latêre jam noluit, si talem se femina prode-  
ret. Abjectus proinde in preces oravit; si cælo  
placeret etiam virum in pugnam prodire, vellet,  
juberet, eo in loco fontem enasci. sanguinem se  
daturum, si aquam spelunca. Et dedit hæc aquam,  
sed quæ CAPRASIO cruentam sitim accendit.  
Hanc ut poneret, in urbem & in theatrum ad ty-  
rannum properare, & jam palam ostendere, non  
frustrà tamdiu in pulvere privato exercuisse sese;  
denique non modò inter omnia tormenta sibi  
constare, sed & longè plurimos alios in eamdem  
sententiam pertrahere, quibuscum omnibus capi-  
te ultimò truncatus effecit, ut exiguus aquæ fons  
in flumina sanguinis excresceret. Ex Surio.

*Ad evitandas diabolice pugne molestias audenter  
assurgimus, si necessitatis ultimæ periculum providè  
pertractemus. Nam si repentinus ille atque terribilis ad-  
ventus Christi perpenditur, quid erit in mûndo, ubi mens  
humana vel desipiens delectetur? S.P.Dam.l.7.ep.19,*

S. HILARION ABBAS. 21.Octobris.

**M**ultum puer HILARION in ludo literario,  
plus apud D.Antonium in religiosâ scholâ  
profecit. Itaque anno ætatis XV. cælesti philo-  
sophiâ jam plenus, jamque vates, pectora hominum  
inspexit, absentia & longè post futura multò antè  
vidit. Mox magister etiam ipse sanctioris sapien-  
tiæ, fidei dogmata multos, multos mundi con-  
temptum